
Nulla est secunda iustificatio apud deum.

SIc ubi non æquo crescit rota quinta sub axe
Præcipitant numero pondera tanta suo.
Sic ubi commixtis venit discordia pennis
Prædatrix reliquas pluma vorauit aues.
Non bene cum fragili junguntur ahenea testa,
Dissidet inq; ipsis æmula fibra sonis.
Turpe cruor pecudum perfusus cæde virorum,
(Quis nescit pateras sæve Pilate tuas ?)
Ah quid cum medici sanguis miscetur & ægri?
Non hoc admisit Pontius ipse nefas.
Quis furor ambrosios cœno corrumpere fontes,
Humanis meritis velle grauare deum?
Non hoc arcanus pueri promisit amictus,
Non inconsutæ matris opus tunicæ.
Scilicet illa pios ad vitam vestis obumbrans
Sutorum insanas ferre recusat acus.
Ipsa suis contenta opibus,contenta decore,
Externi cultum summovet artificis.
Nec tamen egregiis virtutem extendere factis
Displicet,aut plenum laudibus ire diem.
Sed tantum legi confidere. Legis ad omnes
Pressandos olim est dura grauisq; manus.
Sit mihi ferratâ potius requiescere spondâ
Criniti-ve ducis trudere more molam.
Sit mihi vel lateres inter senuisse vel ollas,
Quàm rabido legis vertier arbitrio.
Lex lapis est olimq; gravis, lex ferreus Ochi
Lectus,& indignæ barbara pensa molæ.
Lex mera caligo, lex horrida regna Canopi,
Et Pharaoh & fornax & laterum ille rigor.
Ergo, quem iuvat,immiti te trade magistræ,
At mihi sit dulcis pro domina dominus.
Alter sæpe uno mutat præcordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit.



Nefas est colere deum in simulachro.

QVæ manus infaustas illevit prima tabellas,
Et posuit sacra signa aliena domo,
Illa peregrinos docuit consciscere cultus,
Quælibet immensum frangere in æra deum.
Et tamen à solis Paulini cura fenestris
Cæpit, & historicis, cautior ipsa, notis.
Tu quoq; qui sanctum strinxti sermone Serenũ
Ante negas statuam procubuisse tuos.
Dum nova paulatim subiens & decolor ætas
Indignis cultum vendicat iconibus.
Non sic heroes creti meliore metallo,
Hebræiq; patres,progeniesq; patrum.
Sed PVRAS NVBES ET COELI NVMEN ADORANT.
Profuit inq; aliquo sanna prophana loco.
Credo illa hærebant imis edicta medullis
Tu cave ne faxis sculptile,neve colas.
Nuper at hæc ipsis cessere emota libellis :
Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
Antiochus voluit sacras incendere chartas,
At non dictamen pectoris atq; animi.
Nam quid si Tuscis abolescant biblia flammis?
Non ardent voces pectoris atq; animi.
O quanta iratæ gliscit violentia belluæ
Quæ reprimat voces pectoris atq;animi.
Nam quæ sculptilibus vetat acclinare figuris,
Hæc vox hæc ipsa est pectoris atq; animi.
Non ego nunc vereor si quid Nicena repugnans
Sanxerit his,primæ dissimilis,synodus.
Scilicet Irene multum me moverit ortu
Tartaris,& nati vnlnere fæda sui.
Hic etiam Angelicas nativo corpore mentes
Sacraq; ligneolis facta legis statuis.
Hic & Ioannis patriarchæ bucca remugit
Ex æquo stupris æqua & imaginibus.
Præsul Amoriades proh quanti oracula fundit?
Et cum Chrysippo iam schola tota suo.
Hoccine divinâ dicas haurire pharetrâ?
Hoccine Davidicâ promere tela perâ?
Quòd si quis mediâ conchas iactaret in actâ
Pervagus haud alia luderet arte puer.
Possem victor adhuc Carolinum opponere theta,
Eliberim,& velum parva Anablatha tuum.
Quiq; Moguntiaco patres coiêre senatu,
Et quâ spumantes Sequana voluit aquas.
Tu quoq; si verum est propriâ fortissime dextram
Armasti, & teretem,Rex Ludovice,stylum.
Sed mea iam fines musa est egressa,pig etq;
Inlustrare sonos pectoris atq; animi.